EXERCITATIO MEDICA
DE
FLUXU HUMORUM AD OCULOS NATURALI ET PRÆTERNATURALI HUJUSQUE CURATIONE,

QUAM

DEO FELICITER ANNUENTE

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. HENRICO MEIBOMIO

Med. Doct. Hujusque & Histor. ac Poes. Professore Ord. longe celeberrimo Facultat. Med. Seniore & Archiatro Guelfico

Dn. Patrono Præceptore & Hospite suo admodum devenerando

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ disquisitioni submittit

AUTOR & RESPONDENS

ANTHON ULRICH SCHWALENBERG,

Guelpherbytanus

d. 2. Novembr. Anno cIↄ Iↄc LXXXVII.

HELMSTADI,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII Acad. Typogr.

THES. I.

QUamvis longo annorum decurſu plurimum à præclaris Viris in Arte Medica excolenda, operæ fuerit poſitum, eaque de cauſa etiam corpus humanum ſecundum omnes partes ſuas accuratè examinatum: tamen nullibi ferè minus quam in hiſtoria partium corporis humani eam ad ſummum perveniſſe, Recentiorum diligentia docuit, novis ſemper obſervationibus adjectis. Quod ſi quando hiſtoria partis alicujus ſatis fuit cognita, in vero tamen uſu indagando minus fuerunt curioſi, aut felices, præjudiciis ut plurimum occupati, & hinc multa malè cohærentia & abſurda ſibi fingentes & ad poſteritatem credulam propagantes. In quo ultimo tamen noſtrum ſeculum non minus laborat, felicius in hiſtoria partium invenienda, quam ùſibus earum determinandis.

II. Patebit hoc clariſſimo exemplo, ſi quis ea, quæ de humore ad oculos affluente ab omni ævo ad noſtram usque ætatem à Medicis & Anatomicis tradita ſunt, repetat. Inter varias enim Veterum de eo opiniones, partium hiſtoria aliquatenus tantum cognita, quædam earum ſine examine receptæ ſunt, aliæ vero rejectæ, obſervatis imprimis ductibus novis, nec vitari potuit, quin, partibus licet recte cogni-

tis, de usibus tamen illarum erronea traderentur. Quapropter decrevi, illa, quæ apud priscos recentioresque de eo legi, quæque imprimis à Cl. Dn. *Præside* explicata vidi, audivique, succinctè proponere & examinare.

III. Est enim hæc consideratio non curiosæ tantum observationis, & jucundæ speculationis plenissima, sed & utilis & necessaria, cum ex ejus notitia in artem ipsam redundent commoda, rectius jam imposterum breviusque instituenda curatione.

IV. Sunt autem nobis ad hanc rem non tàm oculi interiora quàm exteriora, & situs ejus, & partes circumpositæ considerandæ. Posuit scilicet Creator oculum in orbita ossea anterius patente, quæ posterius, superius, & ad latera constituitur ex ossibus frontis, & tribus maxillæ superioris, ex quibus nobis imprimis notandum est, quod in interno angulo situm, etiam in adultis tenue & instar squamæ est, idcircoque squammosum à nonnullis dicitur, in quo foramen in nares pervium, per quod ductus, humores superfluos ab oculis in nares amandans, transit, ut mox dicetur.

V. Oculo vero, ne à levi causa lædi & in celeri suo motu & actionibus impediri posset, natura anterius palpebras apposuit, & præterea superficiei oculi de humore aliquo providit, ne tunicæ oculi vi aëris, cui expositæ, siccarentur & corrugarentur, asperitatibusque & fissuris contractis ad visum & intromissionem specierum in oculum minus essent aptæ, ipsæque palpebræ defendendo oculo factæ in celerrimo motu suo impedirentur; uti apud Mechanicos in

confes

confeſſo eſt, motus ſuper humectatas partes celerius fieri, ſuper ſiccas vero aut planè non, aut difficilius.

VI. Videmus tamen illum humiditatis ad oculos fluxum ita provide eſſe factum, ut nunquam quidem humor aliquis deſit, in vere naturali ſtatu tamen etiam non abundet, ſed quicquid ſuperfluum eſſe posſit, mature ſubducatur, ut ita nunquam non affluat ad oculum humor, non tamen abundet, ſed ſuperficiem tantum ejus quaſi unguine oblinat. Unguine dico: nam hunc humorem oculi præ ſudore, urina, aliisq; corporis lymphis, habere aliquid unctuoſi, vel inde colligitur, quod in Lemas concreſcere aptus ſit.

VII. Hoc quomodo quibusque inſtrumentis peragatur, conſideratu digniſſimum eſt, & puto hoc tanto accuratius nunc fieri poſſe, quanto majori diligentia ſuperioris & noſtri ſeculi Anatomici in ea inquiſiverunt: quorum & obſervata & opiniones adducemus, veterumque ſententias, exque illis inter ſe collatis verum eruere annitemur.

IIX. Non venit autem humiditas illa ex vaporibus, neſcio quibus, & unde ad caput oculosque adſcendentibus, condenſatis, uti antehac viſum, cum hoc tempore illa de vaporibus doctrina exploſa ſit, fruſtraque à *Ren. Carteſio* recocta, extantibus manifeſtis ductibus in palpebris, & circa oculum, glandulisque, à quibus oriuntur, ubi ſeparari & per quos ferri longe eſt probabilius.

IX. Ex his glandulæ, tam illa, quæ in interno Oculi angulo etiam citra ſectionem patet, quam altera, quæ prope externum oculi angulum in parte ſu-

periori, ſed reconditè magis, ſita eſt, dudum Medicis fuerunt cognitæ, ductus autem illarum non item, ideoque nec verus uſus.

X. Priorem lacrymalem quidem vocarunt, aliquid ad lacrymas conferentem, non tamen diſtincte ſatis tradiderunt, quomodo concurreret; bina enim in illa vaſa, intra glandulam orta, in vitulo detexit demum anni 1661. hujus ſeculi Cl. *Stenonius*.

XI. Altera lata eſt, & veteribus cognita etiam, ſed non nominata, unde hodiè innominata dicitur, ne à *Veſalio* quidem rectè examinata, ſed obiter tantum conſiderata, unde eam partim glandulæ, partim muſculi naturam habere, oculosque attollere ſcribit, non tolerando errore, quem tamen retinuit, licet à *Fallopio* monitus, qui recte glandulam eſſe obſervavit, ſuperius latiorem, infra contractiorem, & in aliquot quaſi lobulos diviſam.

XII. Primus autem ab ea ductus procedere obſervavit Cl. *Nicolaus Stenonius*, quinque, ſex, ſeptemve, ex glandulæ hujus interſtitiis egredientes palpebram non longe à ciliis totidem diſtinctis foraminibus perforantes.

XIII. Præterea in ipſis palpebris ductus quidam, & glandulæ, obſervatæ ſunt. Ab antiquo quidem jam tum cognita fuerunt τρήματα, ſeu puncta duo, in ipſis ciliorum apicibus, unum utrobique, in interno oculi angulo citra ullam ſectionem conſpicua, quæ foramina ſunt ſtylum admittentia. Quorum ad nares continuationem, primum à ſe obſervatam etiam quidem exiſtimavit Cl. *Stenonius*, cum à multis Anatomicis recentioribus non memorari deprehendiſſet,

dudum

dudum tamen ante eum & in Italia *Gabriel Fallopius* in observationibus suis, & in Germania *Salomon Albertus* in Exc. de Lacrymis descripserant, scilicet, duos illos ductus, quorum in ciliis ostiola apparent, sub lacrymali glandula in unum coire, & in narium cavitatem desinere.

XIV. Quam quidem communionem inter oculos & nares potuissent aliis quoque experimentis Medici discere, si tantum attendissent. Nam & in lacrymantibus nares fluere, & sordes ex oculis per nares expurgari, & medicamentorum oculis adhibitorum sapores per nares ad palatum & linguam pervenire quotidie videmus. Observarunt vero illam ex oculis ad nares viam præstigiatores Sinensium quoque, & eo audaciæ progressi sunt, ut, filo in internum oculi angulum intruso, illud emungendo per nares eduxerint, ejusque extremo utroque apprehenso, & ultro citroque tracto, lacrymarum per genas fluxum promoverint, uti hoc narrat, qui vidit, *Johannes Neuhofius*, in libro suo de Legatione Indici Collegii ad Tartarorum Chamum, in generali Sinensis regni descriptione, cap. 3.

XV. Uti contra ex naribus in illum internum oculi angulum viam esse observamus interdum in infantibus, dum supini jacent, & copiosius suctum lac non tantum per os naresque, sed etiam angulum oculi internum evomunt. Nec insolitum est, circulatores fumum tabaci ore haustum per nares non tantum, sed oculi quoque internum angulum, educere. Et nescio, an non priscis veterinariis jam tum cogniti fuerint illi ductus ex naribus ad oculos, cum apud

Vegetium

Vegetium Mulomedicinæ l.2.c.21. qui *curare vult, tenuem fiſtulam in foraminibus ſubtiliſſimis in ipſa calloſitate narium inſerat, perq; eam os plenum vino inſufflet, ut merum penetret per interiores venas in oculum:* quamvis, ſi ſit ille ductus lacrymalis, de quo nos loquimur, vinum non niſi ad ſuperficiem oculi deducatur, cui tamen leviore negotio aſpergi poſſet.

XVI. Verum, præter illa τρήματα, in ciliis anguli interni, obſervavit Cl. Dn. *Præſes* novos ductus glanduloſos, in utroque palpebra plures, ſæpe triginta, qui ſub limbo cartilagineo palpebrarum oculi bulbum verſus ſiti, oſtiola ſua in ipſa extremitate limbi habent, quæ etiam in viventibus ſunt conſpicua: uti eos pluribus in *Epiſtol. ad Dn. Langellotium* ante hos viginti & unum annos deſcripſit.

XVII. Quando jam harum glandularum & ductuum ſitum conſideramus, non poſſumus aliter judicare, quam in glandulis illis ſeparari humorem, qui ad oculos per ductus ad ſuperficiem ejus hiantes fluat, tam in glandula lacrymali anguli interni, quam innominata externi anguli, & tubulis glanduloſis palpebrarum: Cum enim ductus verſus oculum hient, non poteſt non aliquid per eos verſus oculum fluere.

XIIX. *Galenus* confuſe nimis illa duo Lacrymalia in interno oculi angulo puncta ſeu foramina, usque in nares penetrantia, humiditatem ſubtilem & dare & accipere ſcripſit: nihil enim videtur poſſe ad oculum ex iis fluere, ſed potius ab eo aliquid in ea ad nares, quoniam ductus hiant, & ad oculum, & ad nares,

res,

res, in nulla glandula firmati, à naribus autem accipere nihil & ſurſum ducere poſſint, ideoque ab oculis ſine dubio accipiant.

XIX. Sic igitur fluit ad oculum humor, per certá vaſa, illi ſemper humectando, habetque, ne redundet, ſuum abducens vas, per quod ad nares fluat, ubi etiam uſum ſuum in humectando præſtat, & fortè ad fauces ipſas, porroque in ventriculum delabitur.

XX. Separari autem humorem illum á ſanguine valde probabile eſt, uti omnes alios humores à ſanguine ſecerni veteres recentioresque crediderunt unanimiter, donec hoc ſeculo ex Anglis nonnulli, nervoſum ſuccum commenti, eum ad glandulas per nervos deferri, & ibi ſeparari tradiderunt, nullis aut plane infirmis argumentis.

XXI. Quamvis autem ille fluxus moderatus, certisque quaſi terminis aſtrictus ſit, dum omnia recte in corpore ſeſe habent, ut tantum affluat, quantum humectando oculo ſufficit, reliquum vero per vaſa abducentia ſecedat. Cum tamen copioſius verſus oculum movetur humor, nec tantum in tam parvo temporis ſpatio poteſt abduci, colligitur ille in ſuperficie oculi, & tandem extra orbitam ejus fluit, & hoc eſt illud, quod lacrymam vocamus: copioſior autem fit humoris fluxus, partim per affectus animi, partim per læſiones oculi.

XXII. Uti ſcilicet alibi in corpore noſtro, per eadem loca, per quæ in naturali ſtatu humores moderate fluunt, in præternaturali quoque, licet majori cum copia, fluunt. Ita hic fieri arbitror, Lacrymamque nihil eſſe aliud, quam humorem naturaliter ad oculos humectandos fluentem, ſed præter naturam auctum.

XXIII. Equidem, ex quo clarius hæc doctrina juxta observatas glandulas, novosque ductus, exponi cœpit, id tantum non omnes concesserunt, humiditatem oculo necessariam, ex his glandulis & per hos ductus fluere; de lacrymis tamen, quæ sive per affectus animi, sive alia de causa fluerent, id concedere noluerunt, opponentes imprimis glandularum ductuumque tenuitatem, & magnam copiam lacrymarum, quæ aliquando effluere observatur, ut videre est apud *Warthonum in Adenograph.* l. c. & *Isbrand. à Diemerbroeck* Anat. l. 3. c. 15. quo pluribus id agit.

XXIV. Verum, jam tum egregiè à *Stenonio* his occursum, responsumque est, posse scilicet humorem, qui continuo fluat & indesinenter, & cito, licet per tenuia vasa, tamen in magna copia effluere. Et sic etiam circa oculum sese rem habere. In naturali statu, proportione inter arterias adducentes sanguinem ad glandulas, & venas abducentes, rectè se habente, parum humoris separari, si autem illa per affectus animi, aut alio modo mutetur, (ceu egregie exponit *Stenonius*) copiosius separari serum, & versus oculum fluere: quod si jam illud propter obstaculum aliquod in abducente vase, aut propter nimiam copiam, tam citò non possit abduci, effluat extra orbitam necesse est, non secus, ac in stagno aquis auctis ripas suas id transgreditur.

XXV. Dum vero ad oculos per affectus animi, aut alia de causa, copiosius movetur humor, non cessat plane effluxus per vasa abducentia in interno angulo per nares, quia etiam in multis lacrymantibus, pueris præsertim, ex naribus humores fluere deprehendimus,

dimus, illis per ductum, antea descriptum, descendentibus.

XXVI. Crederet quis, esse hæc in tanta luce collocata, ut assensum à nemine non, qui & vasorum situm, & phœnomena omnia circa lacrymas observabilia consideraret, impetrare possent. Nihilominus Vir cætera rerum Medicarum & Anatomicarum peritissimus *Isbrandus à Diemerbroeck* Anat. lib. 3. c. 15. cum historiam vasorum ex mente Stenonis proposuisset, de usu tamen illorum aliter sentiens, ordinarium humorum ad oculos fluxum concedit per illos glandularum ductus fieri, non tamen lacrymarum, sed illas per ductum inter nares & oculum, sæpius à nobis descriptum, à naribus ad oculum ferri, carunculamque in interno angulo sitam fluxum illum ita moderari, ut in naturali statu eum impediat, in præternaturali admittere cogatur; materiam autem lacrymarum ex ipsa cerebri substantia, glandula pituitaria, atque exiguis plexus Chorodei glandulis in ventriculos ejus copiose exprimi, inde per processus papillares ossiumque cribriformium angustias in narium interiorum fungosas partes, quas cum ob copiam & visciditatem non satis cito permeare queant, tenuiores & serosiores particulas per angusta lateralia foramina lacrymalia in oculorum angulos internos erumpere; crassiores per nasum & palatum evacuari, cessante autem illa à viscidis humoribus obstructione, omnes humores per nares elabi, & tum nullas fieri lacrymas. Qua hypothesi posita, deinde phænomena omina ex illa explicare nititur, & cerebri membranarumque ejus contractionem per affectus animi fieri docet.

XXVII. Verùm quàm multa hic ſupponantur falſa, facile oſtendi poteſt. Neque enim illi humorum ex cerebri Ventriculis ad nares fluxus ita clari ſunt, ut eruditis hujus ſeculi ſe probent: obſtructio autem illa in naribus à pituitoſo humore, ſecedentibus tum tenuibus, merè fictitia eſt, nec ullo ſeparationis in corpore noſtro exemplo illuſtrari poteſt, nec caruncula in interno oculi angulo ita ſita eſt, ut humorum ex naribus fluxum moderari poſſit, cùm ductus èx palpebris juxta eam, & ſub ea, ad nares ferantur, cum ea vero communionem nullam habeant: ne nunc dicam, quod nec explicet, nec explicare poſſit, qua vi humores ex naribus ad oculum ſurſum moveantur.

XXIIX. Adducit quidem pro ſua ſententia & contra ſentientibus opponit phænomenon illud, quod, eroſâ carunculâ lacrymali, involuntarie effluant lacrymæ, cum contrarium fieri deberet, ſi vas illud ad nares eſſet abductorium; ſed reſponderi poteſt, in illa carunculæ lacrymalis eroſione, non fieri viam illam ex oculis ad nares liberiorem, & foramina patentiora, ſed, uti in ulceribus aliis alibi aliquid carnis bonæ abſumitur, alibi aliquid malæ accreſcit, & vaſcula obſtruuntur, unde nec ſanguinis fit effluxus, ita quoque vas lacrymale abducens obſtrui, ut effluere per id humor nequeat: quod magis etiam fieri probabile eſt, quando illa caruncula exulcerata & exeſa iterum conſolidatur.

XXIX. Longe igitur rectius humores omnes, qui ſive in naturali, ſive præternaturali ſtatu ad oculos fluunt, ex ductibus glandularum ſupra deſcriptis

effluere

effluere, & quidem separatos ibi ab arterioso sanguine, (uti alibi in glandulis fit) quod autem superfluum, per vasa ad nares abduci, aut si abduci propter obstructas vias, aut tam cito non possit, extra oculi orbitam fluere, sub nomine lacrymæ, asserimus, & ex structura & situ vasorum rem ita se habere probamus.

XXX. Illos autem copiosos fluxus, & hinc lacrymas, per affectus animi tantum non in omnibus hominibus oriri observamus, & illis quidem esse familiariores, qui faciles sunt ad animi affectus, ad tristitiam, mærorem que; qui misericordes, meticulosi, & omnia sibi difficiliora proponunt, uti pueri fœminæque, & senes, *avaræ anus & deparci Euclìones, è quorum oculis mille lacrymas citius expresseris, quam unum è bulga nummum, ut Lipsii* verbis utar *lib. 1. de constant. c. 12.* & illi imprimis, qui affectu apoplectico correpti fuerunt, ad quasvis fere voces dein, sine omni ratione, lacrymas emittentes.

XXXI. Et facit sane ad hanc rem etiam multum consuetudo, per quam humor copiosius affertur, &, cùm vasa arteriosa ad glandulas, tùm vasa illa minima in glandulis dilatantur, ut exitum facillime præbeant: Suntque nonnulli, qui lacrymari, quando volunt, possunt, unde poëta canit de puellis:

Ut flerent, oculos erudiere suos

Quod duplici modo ejusmodi homines faciunt, vel palpebras arctissime ad se invicem premendo, succosque ex iis sic exprimendo, vel talem affectum in sese excitando, qualis alias ad fletum nos deducere solet.

XXXII. Videmus quidem interdum in maximis quoque mœroribus & subitaneis, vehementissimis licet affectibus, non profluere lacrymas, sed deinde demum, ubi violentus ille affectus nonnihil remittit: Sine dubio autem hujus rei causa est, quod homines in illa magna consternatione quasi attoniti fiant, humoresque in illorum corpore condensentur quasi & figantur, & sic nequeant effluere, animo autem dein recollecto & ordinario iterum motu redeunte, manare pergant: plane, ut in gravissimis affectibus linguam quoque ad querelas movere non possumus, juxta illud Poetæ: *Curæ leves loquuntur, ingentes stupent.*

XXXIII. Non tantum vero per affectus animi nobis effluunt lacrymæ ex oculis, sed invitis nobis quoque & non infrequenter ex privato, partium circa oculos vitio: id quod animalibus brutis quoque contingit. Nam & lacrymari cogimur quando per vulnera manifestæ fiunt læsiones in illis partibus, quas ad humoris naturalem ad oculum fluxum & affluxum aliquid conferre diximus. Id post variolas & morbillos quoque frequenter contingit, dum Ectymata, efflorescentiæ & pustulæ acri suo succo vasa minimarum glandularum erodunt & exedunt, & sæpe etiam vasa majora & patentiora & ad fluxum aptiora reddunt.

XXXIV. Quæ quidem læsiones per vulnera aut erosiones ab acri materia in illis minimis vasis factæ admodum difficilem habent curationem, quoniam nec satis accurate dijudicari, nec remediis tolli possunt: Unde illos, qui in prima ætate id passi, sæpe

magnam vitæ ſuæ partem retinere obſervamus. Univerſalia enim adhibita parum juvant, topica vero etiam rem non ſemper expediunt.

XXXV. Quando tamen malum adhuc recens eſt, eroſionibus & dilatationibus vaſorum tumentium per collyria ſuccurrere licet, adſtringendi & conſolidandi vim habentia, ex Tutia, ſarcocolla, maſtyche, myrrha, aloe, ſanguine draconis cum aqua plantaginis & roſarum quæ interdum felicem curationem faciunt.

XXXVI. Quidam præterea ſemper lacrymantes oculos habent, propter vitium glandulæ in interno angulo ſitæ, ceu jam tum ſupra memini. Quando nimirum aut planè aut ex parte periit, ſive Chirurgi ibi operantis incuria abſciſſa, ſive ab acribus humoribus exulcerata & exeſa, quod poſt epiphoram & ægilopem aliquando obſervatur. Volunt vero Practici in hoc affectu, qui Rhyas vocatur, propter defectum glandulæ, quæ humorum ad oculos fluxum impediat, tam copioſum illum fieri; quod tamen admitti nequit, cum glandula id præſtare nullo modo posſit, fluxus autem ille contingat, propter eroſa & partim iterum coalita vaſa, quæ ab oculis ad nares mature abducere deberent, quod dein ſub forma lacrymæ extra orbitam effluit. Et vero dum exulcerata eſt adhuc caruncula, pus acre irritare fibras ſenſibiles membranarum oculi & fluxum eo modo concitare poteſt, ceu mox videbimus. Non alia igitur hic Medicamenta conveniunt, quam quæ leviter abſtergant & conſolident, quibus adſtringentia & dolorem ſedantia prudenter admiſcenda. Ipſa tamen

ubi

men ubi coalita fuerint, restituere in integrum non possumus, ideoque interdum etiam hic omnis opera medici frustranea est.

XXXVII. Quibus ita expositis, videamus, quæ jam in aliis lacrymationibus invitis partes affectæ sint, & quomodo tum fluxus ipse fiat quam curationem suscipiat. Uti quidem primo; de lacrymis involuntariis ab externa causa dicam.

XXXIIX. Nihil enim notius est, quam à fumis & vaporibus, ad oculos delatis, acrioribus lacrymas nobis cieri, quod omnes deprehendunt, qui igni fumanti adstare coguntur, aut res, acres de sese halitus spargentes, minerales & vegetabiles, ut lacrymosa cæpe, tractant. Quod pari ratione in aere & vento, oculis fortius appulso, hyemali præsertim tempore experimur. Pulvis vero, cum aëre immissus, aut arenulæ, & quicquid adsperitatem aliquam habet, similiter id facit.

XXXIX. Maxime enim sensibilis est oculorum & palpebrarum interiorum membrana, unde etiam à vaporibus afficitur, & inde affluxus copiosius per arterias ad glandulas fit, exque earum ductibus peculiaribus effluit tum copiosius humor lacrymalis. Id quod in brutorum oculis observare licet, si euphorbii pulvis aut simile quid injiciatur.

XL. Multi etiam assiduè, minutas literas præsertim, & ad candelæ lumen, legendo, sensum aliquem doloris in oculi palpebrarumque sensibili membrana percipiunt, & hinc lacrymorum fluxum patiuntur.

XLI. Id vero imprimis notabile est, quod sicut

in

in certis Epidemicis constitutionibus humores ex sanguine in glandulis, ad fauces alibique in capite sitis, copiosius evacuantur, ita in glandulis ad oculos quoque aliquando, ut semper lacrymis stillent; qualem ad oculos Epidemium fluxum ante duodecim annos hic observavit *Cl. Dn. Præses*, mense Septembri & Octobri.

XLII. Solent, qui ab externis causis contingunt, humorum ad oculos fluxus, & sub nomine lacrymarum effluxus, sæpe mox cessare, sublata quæ eos concitat causa, aliquando tamen diu satis durant & rebelles & pertinaces admodum sunt, epidemii imprimis illi, & ad levem occasionem iterum redeunt.

XLIII. Epiphoræ nomen, etsi vox alias generalis, Medico usu ad hujusmodi fluxus oculorum diutinos restricta est. Quædamtamen Epiphora est cum levi tantum molestia, alia cum calore & dolore & rubore in adnata, palpebris & angulis præsertim.

XLIV. Quando autem aliquandiu hi fluxus durarunt, solet, ut in catharris, quadam quasi coctione materia, quæ affluit, incrassari, & in Lemas quas appellant abire, si non alias, certe nocturno tempore, dum clauduntur palpebræ, easque inter se, quasi glutine quodam, connectere.

XLV. In omnibus autem his fluxionibus, non videntur mihi aliæ partes propriè affectæ esse, quam glandulæ lacrymales antea descriptæ, & proinde Topica ipsis remedia quantum licet adhibenda; quamvis non negem, alias esse causas, quæ sanguinem moveant, concitent, & versus oculos impellant, ut per Epidemias constitutiones & lucubrationes fit, quarum similiter ratio habenda.

XLVI. Et hoc respectu purgantia quoque utiliter sæpe & per ἐπίκρασιν adhibentur, ex pillulis cochiis, lucis, aliisque longo usu probatis: scribitque recte celeberrimus *Pechlinus* in eruditissimo suo de Potu The dialogo p. 28. in oculorum inflammationibus, cum frustra diu laboratum topicis & collyriis, uno sæpe purgante totum morbum profligari.

XLVII. Vesicatoria, Sinapismi, imprimis vero fonticuli, magnam in hoc affectu habent efficaciam, majorem tamen, si non brachiis apponantur, sed post aures, & in nucha; ubi qui setaceum âdmittere voluerint, magnum commodum sentient.

XLVIII. Nec minus sudorifera suum hic laudabilem affectum habent, dum discutiunt, & exiccant: quo nomine decocta Lignorum & Chinæ & Sarsaparillæ imprimis commendaverim, aliquandiu usurpanda. Imo nonnulli Diuretica quoque laudant: nec aliter meo judicio juvant, qui specifice à quibusdam commendantur, millepedes.

XLIX. Venæ sectio larga in manibus pedibusque, non tam in his ad oculos fluxionibus, quam, ubi simul inflammatio, de qua deinde aliquid dicam, adest, locum habet, nisi ipsius inflammationis præcavendæ causa adhibere velis. Ipsius tamen capitis minora & oculis propiora sangvinea vasa magno cum fructu inciduntur, aut ubi commodius id fieri potest, per hirudines aperiuntur. In dorso, in scapulis, in nucha, juxta aures scarificationes cum cucurbitulis adhibemus, lobulos aurium scarificamus tantum, venas & arterias temporum, frontis, nasi & in angulis oculorum scalpello vel hirudinibus, ut dixi, aperimus: ubi im

primis in rebelli affectu plura tentanda sunt ; & hæc sangvinis liberum motum procurant.

L. Qui à cerebro ipso ut omnes ca arrhos, ita fluxiones quoque ad oculos fieri, crediderunt, illi non tantum cerebrum expurgarunt , & quidem pillulis cephalicis, specifici scilicet aliquid habentibus , Errhinis, Sternutatoriis, Masticatoriis, sed etiam cerebrum exsiccare medicamentis cephalicis , roborantibus & exsiccantibus, voluerunt : quibus tamen accedere, ratione cessante, non possum, cum errhina etiam & sternutatoria fluxum ad oculos magis magisque concitent. Quod si aliquando talia juverunt (experientiâ tamen adhuc dubiâ) non tam capiti subveniendo, quam sanguineam massam corrigendo aliquid præstiterunt. Ut enim in omnibus catarrhis ad sanguinem ejusque motum respiciendum est , ita in fluxionibus quoque ad oculos: & proinde conveniunt hîc quoque aliquando pillulæ de styrace, de Cynoglossa, sive solæ, sive cum purgantibus mixtæ, ad ejus præternaturalem fermentationem inhibendam.

LI. Sed jam ad Topica nos convertemus. Ubi primo illa adstringentia , quæ fronti & temporibus sub forma Emplastrorum aut Cataplasmâtum ex myrtillis, balaustiis, thure, mastiche, bolo Armena, terris sigillatis, sanguine draconis, succo acaciæ, gummi tacamahaca, lapide hæmatitide &c. apponuntur , fluxus sistendi causa, consideranda sunt: quæ neque plane rejicere , nec tamen simpliciter probare audeo. Non probare ; quoniam ad fluxiones prohibendas nihil melius est, quam liberum in minimis vasis procurare motum (qua de causa apertiones minorum & proximio-

rum vasorum laudatæ supra sunt) quem adstringentia hæc impedire videntur. Non rejicere; quoniam multi Medici & Chirurgi reclamant, & ad experientiam provocant, nec tolli motum sanguinis iis, sed tantum nonnihil compesci, & sic effluxum per glandulas prohiberi, opponunt. Prudentiæ igitur Medici, in singularibus operantis, id relinquitur, quod in genere ita accurate determinari nequit.

LII. In reliquis Topicis conveniunt magis Practici, &, universalibus præmissis, varia tam ratione materiæ, quam formæ laudant. Vulgus quidem in illa est opinione, non esse humectandos oculos, exemplo forte uno aut altero observato, ubi humida eaque actu frigida intempestive oculo fuerunt admota: Id quod tamen Medici non attendentes quotidie oculos fluxionibus detentos, humectant, optato eventu.

LIII. Medicamenta quibus utimur, magnam partem adstringentia sunt, simul tamen vim aliquam abstergendi, & etiam discutiendi habent, & si non habeant, admiscenda ipsis illarum virtutum alia sunt. Jam tum mentio quædam illorum facta est; sunt autem in frequentissimo usu, Lapis Calaminaris, alumen, vitriolum, sacharum Saturni, cerussa, camphora, sumach, thus, mastyx, myrrha, aloë, sarcocolla, quibus in siccis collyriis suis, Sief dictis, Arabes opium adjecerunt. Pulverisantur autem hæc medicamenta tenuissime, & vel cum butyro & pinguedinibus in unguenta rediguntur, vel in aqua rosarum, plantaginis, virgæ aureæ, fœniculi dissolvuntur, ut ita commode palpebras cum iis inungere, aut cum linteis applicare, aut guttas aliquot in oculum ipsum instillare possimus.

LIV. Ma-

LIV. Magna autem requiritur in Medico, usu confirmata, prudentia, ut ratione circumstantiarum, vel hæc vel illa adhibeat, & debite misceat, nam uti aliquando non nisi valde temperata oculo prosunt, & demulcentia, & ipsum quoque opium: ita interdum acria magno cum successu adhibentur, imprimis quando humores crassiores sunt, & in lemas abeunt; quin ubi alia omnia frustra sunt, ex Mercurio præcipitato factum unguentum & palpebrarum extremis, ubi vasa lacrymalia sunt, affrictum, curationem absolvit.

LV. Qui enim ad oculum fluunt humores, interdum blandi sunt, omnisque acrimoniæ expertes, interdum ita acres, ut calorem, ruborem, pruritum excitent, imò leves in oculo erosiones faciant, quibus non uno & eodem Medicamento subveniri posse, facile patet.

LVI. De Ophthalmia quidem hîc agere non instituimus, cum peculiarem poscat tractationem, id tamen dico, cum præter lacrymarum ex oculis fluxum, etiam tunicæ externæ inflammatio adsit, majusque periculum habeat, etiam majori cum prudentia & cautela tractari & non tantum V.S. & remedia revulsoria adhiberi diligentius, sed & Topica cautius administrari, cum intempestive adhibita plurimum nocere possint, debere.

LVII. In salsis proinde & acribus fluxioribus, cum calore, rubore & pruritu, temperata & demulcentia conveniunt, uti imprimis lac dulce, & eo nutrita sarcocolla, & Sief dicta. In scabie tamen & pruritu palpebrarum, psorophthalmiam Græci vocant, vi-

 dentur

dentur etiam detergentia adhibenda & imprimis aliquid aloes & vitrioli addendum.

LIIX. Fit vero interdum, ut propter acres in toto ſanguine humores oculi quoque rubeant, doleant, & hinc concitato ad glandulas fluxu, perque eas effluxu, lacrymentur. In illis qui Baccho indulgent, non alia de cauſa poſt longum uſum & rubent oculi, & ſtillant. In Lue Venerea vero deprehendimus, non tantum ubi levior illa, & inter initia eſt, in extremitatibus palpebrarum dolores percipi, ſed etiam deinde rubores, dolores, & tandem lacrymarum fluxus accedere, fœdiſſimo ſæpe adſpectu. Neque vero hujusmodi fluxiones Topicis tolluntur, niſi malum quod in ſangvine eſt, debitis prius remediis, corrigatur, ubi quidem tum Sarſaparillæ decoctum convenientiſſimum eſt. Qui igitur ex mala diæta fluxiones ſibi ad oculos concitarunt, ſi in ea perſeverent, non poſſunt ſibi felicem & integram curationem medicamentis promittere, *lacrymoſaque vino lumina*, cum ebrioſa illa anu apud Ovidium retinent. V. doctiſſimum *Petrum Petitum* l.3. de lacrymis. probl. 20.

SOLI DEO GLORIA,

Dum, quibus humectant se dulcia lumina guttis,
Noruntque afflictæ prodere mentis onus:
Et quarum affluxu teneri torquentur ocelli,
Ut sæpe injussæ prosiliant lacrymæ,
Eximio ostendis scripto, simul &, quid in illis
Rectè notum ætas prisca recensque habuit.
JULIA dat lætos plausus, & jubila, & omnes
Promerito decori lingua animoque favent:
Quin, quæ tristitiæ sunt mærorique dicatæ,
In laudem LACRYMAS cernimus ire tuam.

Auditori suo per plures annos maximè sedulo de erudito specimine in Arte Medica edito gratulatur

HENRICUS MEIBOMIUS.

Was

Was ist das disputiren?
Den geist auf den Parnaß zum anzugsschmause führen/
Was Kundschafft macht man dar?
Mit der in gold und glanz geschmükten Musen schaar/
Was sucht man nach der zeit?
Man wirbt um ihre gunst. Was kriegt man für bescheid?
Man müsse treulich dienen.
Wie lange? Biß * **die zeit des hirten** ist erschienen:
Doch eh' erfüllet wird des Jacobs dienstjahrzahl/
kömt wer getreulich liebt zu dem Verlöbnißmahl/
und fordert Kranz und Ring.
O! süsser lohn für den und angenehmes ding!
der wahre klugheit kennt. Herr Schwalenberg will weisen
Wie man trit glüklich an so schwehr= doch schöne reisen.

* l'heure du berger.

Hiermit wolte den Herrn Respondenten/ seinen fleissigen auditorem beglückwünschen

C. S. Schelhammer M. D.
P. P.